
Lloyd, C. M.
Carminis bucolici
quaenam fuerit ars et
ratio. 1903.


1837
ARTES
VERITAS
SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
E PLURIBUS UNUM
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

YM or

CARMINIS BUCOLICI QUAENAM FUERIT ARS ET RATIO

THE CHANCELLOR'S LATIN ESSAY

1903

SCRIPSIT

CAROLUS MOSTYN LLOYD

E COLL. DI. JO. BAPT.

Oxford

B. H. BLACKWELL, 50 & 51, BROAD STREET

London

SIMPKIN, MARSHALL, HAMILTON, KENT & CO.

MDCCCCIII

" Tale tuum carmen nobis, divine poeta,
Quale sopor fessis in gramine, quale per aestum
Dulcis aquae saliente sitim restinguere rivo."

CARMINIS BUCOLICI QUAENAM FUERIT ARS ET RATIO.

Prooemium. Origo bucolici carminis.

CARMINIS bucolici primordia, sicut aliorum poesis generum, in obscuritate ac dubitatione haudquaquam mediocri versantur. Nomen sane constat a boum custodia deductum esse,—(nam βουκόλους Graeci vocant armentarios)—idque potissimum his poematis datum, quod illi pluris apud antiquos quam pastores ceterique agrestes haberentur; sed ipsa res, unde et a quo et quando exorta sit, inter plurimos adhuc ambigitur. Alii enim Lacedaemone tradunt ea carmina post Persas devictos exstitisse, alii in Sicilia Dianae celebrandae causa vel ab Oreste vel a Syracusanis instituta. Sunt contra qui non Dianae sed Pani ac Faunis ceterisque ruris numinibus haec dicata censeant. Nonnulli vero putant ea non deûm honoris causa constituta esse, sed e pastorum cantibus quasi natura et gradatim adolevisse. Cui sententiae Lucretius quoque adsentiri videtur, cum priscos dicat homines, principio voces avium imitatos, deinde ventum audiendo per calamos sibilantem, "cavas inflare cicutas" didicisse. Ac memoria certe proditum est, quod eodem spectat, Adonidis vel Lini vel Daphnidis mortem—(nam alium alii celebrabant)—agrestes sollennibus ubique diebus lamentatos, quo nescio an praeteritam veris suavitatem exprimerent; cujus rei documento sunt Adonia, quae depinxit Theocritus ab Alexandrinis acta, et ea Bionis naenia, quae "Epitaphium Adonidis" vocatur. Verum haec omnia, quae conjecturae tantummodo sint et opinionum commenta, neque fidem neque auctoritatem habere possunt.

Sequitur dein quaestio, quis poetarum hoc genus primus attigerit. At ne haec quidem ad solvendum est facilior, cum de poetis Siculis, qui ante Theocritum fuerunt, tam pauca certe sciamus. Ferunt sane Stesichorum, virum cum in

epicis tum in lyricis insignem, inter poemata sua naenias induxisse et cantus agrestium; ferunt quoque ejusmodi multa in mimis fuisse Sophronis atque Epicharmi; sed an hos idcirco rite dicamus, uti quidam putaverunt, carmen bucolicum invenisse, id valde, reor, dubitari potest. Quin ne illud quidem, quantum ad id genus fundandum et exstruendum quisque conferat, satis compertum habemus; hoc tamen nemo non fatetur, bucolica in lucem protulisse Theocritum.

Is enim, tametsi bucolicorum non habendus est inventor, rudia tamen illa et incomposita carmina primus in ordinem adduxit, tam artificiose redegit ad rationem, omnia denique sic perpolivit ac confecit, ut non modo fuerit, quod judicium est Quintiliani, admirabilis in suo genere, sed longe citra aemulum et ceteris paene lex ac norma scribendi.

Poetae bucolici qui fuerint.

Pauci quidem utriusque linguae praeter eum exstiterunt in hoc genere insignes; nempe e Graecis soli (quantum ego quidem sciam) Bion et Moschus, Theocriti uterque imitator; Romanorum Vergilius primus, atque unus, ut ita dicam, mentione dignus; deinde longo post intervallo temporis nati T. Calpurnius Siculus et M. Aurelius Nemesianus. Quorum omnium Theocritus, ut qui facile princeps apparuerit, non solum aequalibus suis, sed etiam, ut supra dixi, posterioribus fuit exemplar.

Hos igitur propositum est mihi singulos tractare, sed ita tamen, ut reliquos, quacunque res poscet, ad comparationem contentionemque proferam. Sed antequam in Theocriti artem ingrediar, dicenda sunt pauca de ipsis temporibus. Nam cum qualibuscunque scriptoribus magni solet esse momenti suum cuique saeculum, tum in Alexandrinis praecipue ad poesin illam formandam quam plurimum hoc suspicor attulisse.

De Theocriti temporibus.

Illa nimirum aetas, ut maximis distenta bellis, ita in litteris erat perquam sterilis atque effeta: non jam, ut ante, Athenae copiam effundebant philosophorum, oratorum, poetarum; amissa libertate periit etiam, ut saepe fit, omnis studiorum ardor, periit illa vis ingenii, quae Athenas omnium laudatarum artium inventrices et quasi parentes reddiderat. Neque id quidem mirum arbitror, cum Alexander omnes gentes cum victoria peragraret,

paene in servitutem liberas Graeciae civitates redigeret, cum denique totus fere orbis terrarum in armis esset—non mirum, inquam, si tantam inter turbam et confusionem rerum omnino Musae siluerunt.

Verumtamen potuit etiam tunc fieri, si modo imperio omnium gentium constituto diuturnitas pacis otium confirmasset, ut, rege ipso fautore ac praeside, studia litterarum in Graecia reviviscerent. Sed ille mortuus hanc speculam praecidit, omnia de integro permiscuit ac turbavit. Tum demum ex tam universa caligine exstitit Alexandria, nova litterarum patrona, doctorum portus ac perfugium. Huc undique omnes eruditi, omnes cujusque artis studiosi, ad Ptolemaeum regem confluxerunt. Is enim, aemulus patris sui, ardore quodam incredibili provehebat litteras, doctissimum quemque praemiis atque honoribus prosequebatur, tot denique viros omni doctrina ornatissimos ad se adduxit, quot nusquam uno eodemque tempore congregati sunt. Sed accessit his aulicorum, vatium, Judaeorum, militum, mercatorum, prope inenarrabilis concursus, ut eam urbem, magnitudinis paene infinitae, luxuria prorsus diffluentem, adeo omnium hominum refertam, spectaculum quoddam ingens ac quasi totius orbis mercatum magis quam officinam artium litteratorumque domicilium dixisses. Verumenimvero hi ipsi, quamvis critici, λογογράφοι, grammatici prope singulares, in exemplis veteribus imitandis nemini non pares fuerint, tamen eo divino quasi adflatu, qui est summorum operum solus procreator, mirum in modum omnes caruerunt. Nam et abierat illa in republica libertas quae Graecos in historiis, in fabulis, in rhetorice praestantissimos ac paene caelestes effecerat, sine qua, ne longus fiam, non modo non perfecta et absoluta opera, sed nihil fere dignum memoria solet excogitari. Tum praeterea sublata libertate tollebatur et prisca relligio; quemadmodum erat civitas barbarorum, ita barbari dei, superstitiones novae ac molles invehebantur; poeta ipse non jam, ut apud Athenienses, deorum minister, praeceptor populi, sed tyranni totus cliens atque adulator.

De Alexandrinis.

Cum igitur res ita se haberent, non tam, ut opinor, contemnendi sunt ceteri, quam admirandum ejus viri ingenium, qui tantis ex tenebris inter omnes unus eminuit.

De poesi Theocriti.

Nunc vero, ut ad propositum revertamur, facile, credo, potest intelligi, ex quibus praefati sumus, quomodo poesis Theocriti quasi sua sponte videatur in duas species distribui, alteram pastoralem ac rusticam (cujus modi sunt carmina prope quindecim); alteram, quae necessitati temporum magis est tribuenda quam ipsius indoli, more Homerico pleramque compositam, et in deorum heroumque factis ac principum laudationibus versatam. Quorum generum utrique datum est commune nomen *εἰδύλλια*, id est, parva poemata vel tabellae (nam picturam quandam *εἶδος* significat); sed illud proprie bucolicum appellamus, idque solum mihi tractandum est; hoc posterius, quoniam ad praesentem locum nihil pertinet, omnino praetermittam.

Quibus autem in rebus haec carmina versentur, jam summatim attigi, plenius in sequenti parte explicabo. Nunc oportet ad ipsam versuum structuram aggrediar. Ac primum de numeris Theocriti.

De metro Theocriti.

Metro fere omnino utitur heroo, id est, hexametris, sed Dorice plerumque dictis—(nonnulla sane sunt Aeolice vel Ionice scripta; sed haec perrara, et vix inter ea ponenda, quae bucolica proprie judicari diximus),—eaque Doride quam Graeci vocant *τὴν νέαν*, sermonem cum mirifica quadam suavitate praeditum, tum minus austerum et veteri Doride mitiorem. Quam ipsam rem eo magis Probus existimat Theocrito profuisse, quo lingua Doris rusticana quodammodo habeatur. Haec enim cum pluribus distinguitur et vocalium et consonantium inmutationibus, tum adeo producta *α* littera abundat, ut insignis esset prae ceteris gens Dorica latitudine quadam verborum, qui Graece vocatur *πλατειασμός*. Velut ipse dicit Theocritus de mulieribus Syracusanis,

ἐκκναισεῦντι πλατειάσδοισαι ἅπαντα.

De bucolica caesura.

Deinde illud in hoc loco non praetermittendum arbitror, quod bucolicorum est imprimis proprium. Nam caesuram adhibent non modo, quam ceteri in herois numeris *πενθημιμερῆ* et *ἑφθημιμερῆ*, id est, caesuram tertii et quarti pedis, sed eam quoque mag-

nopere diligunt divisionem versus, qua quartus pes, et is dactylus, partem orationis terminat. Ea quidem τομὴ dicitur βουκολική, non quod a bucolicorum scriptoribus profecta sit,—(invenitur enim saepius apud Homerum)—sed quia tam crebro ab iis usurpata, quasi lex quaedam, ut Probus notat, huic generi carminis videtur. Velut in primo idyllio Theocritus exorsus est—

> ἁδύ τι τὸ ψιθύρισμα καὶ ἁ πίτυς, αἰπόλε, τήνα
> ἁ ποτὶ ταῖς παγαῖσι μελίσδεται· ἁδὺ δὲ καὶ τὺ
> συρίσδες· μετὰ Πᾶνα τὸ δεύτερον ἆθλον ἀποισῇ.

et in secundo—

> πᾷ μοι ταὶ δάφναι; φέρε Θέστυλι· πᾷ δὲ τὰ φίλτρα;
> στέψον τὰν κελέβαν φοινικέῳ οἰὸς ἀώτῳ, κ. τ. λ.

Eandem in unoquoque idyllio, eandem apud Bionem et Moschum reperias; quin apud omnes, ne longum faciam, major pars versuum sic dividitur. Eadem quoque Vergilius utitur, sed parcius, ut quae minus idonea sit ad linguam Latinam—verum ne hic quidem raro, ut

> tu, Tityre, lentus in umbra,

et

> thymo mihi dulcior Hyblae.

Recentiores vero, cum totam numerorum anguste coercebant rationem, tum hanc praecipue sive casu sive de industria parum observabant.

Sunt porro Donati testimonio qui primum quoque pedem dactylum esse censeant debere, partemque orationis finire, ut ἄρχετε, Tityre; quam regulam diligentissime Graecos, Vergilium minus aiunt custodire; nam illos in paucis versibus ab ea ratione declinasse, hunc in paucis secutum.

Est autem aliud huic caesurae cognatum, quod ex cantilenis agrestibus aut magicis carminibus deductum ferunt; eam dico figuram quae ἐπαναδίπλωσις vocatur, hoc est, repetitionem ejusdem verbi in quinto pede, quod in primo positum est, ut

> ἄρχετε βωκολικᾶς, Μῶσαι φίλαι, ἄρχετ' ἀοιδᾶς

et

> οὐ θέμις, ὦ ποιμάν, τὸ μεσαμβρινὸν, οὐ θέμις ἄμμιν
> συρίσδεν.

Quod et Vergilius nonnunquam imitatur, velut—

> parcite, ab urbe venit, jam, carmina, parcite, Daphnis,

vel

> carmina sunt dicenda: neget quis carmina Gallo?

De dictione Theocriti.

Neque vero his tantum rebus differt Theocritus a versu Homerico. Nam primum quippe quod homines, et eos agrestes, quam deos heroasque, silvas ac prata quam castra potius describat, idcirco omnes fugit ampullas et sesquipedalia verba, omnem granditatem illam, quae epico carmini est maxime consentanea.

Deinde modo imitandi scenis propius quam epico hoc genus accedit. Tres enim imitandi modos, ut notum est, Aristoteles definiit, ex quo tria esse poematum genera constituimus: dramaticum, id est, activum, in quo personae agunt sine ulla poetae interlocutione: enarrativum, quod Graeci vocant διηγηματικόν aut ἀπαγγελτικόν, in quo poeta solus ipse loquitur: commune vel mixtum, ubi promiscue loquuntur et poeta et personae. Quorum generum primi sunt fabulae tragicae ac comicae, tertii tota Ilias et Odyssea Homeri; bucolicum carmen omnium trium particeps, sed longe maximam partem est adeo dramaticum, ut Vergilii bucolica ferant in scena per cantores crebro esse pronuntiata.

De carmine amoebaeo.

Peculiare autem huic generi est aliud, quod Graece ἀμοιβαῖον dicitur, id est, carmen alternum. Inducuntur enim saepe pastores duo pro palma inter se certantes, quorum alter paucis versibus semet aut amores suos aut facta celebrat, alter vicissim paribus respondet. Quale est apud Vergilium certamen Menalcae et Damoetae, quos Palaemon, cantandi arbiter, ad hunc modum cohortatur—

> incipe, Damoeta; tu deinde sequere, Menalca.
> alterni dicetis; amant alterna Camoenae.

Ejusdem modi sunt apud Theocritum complura, ut Comatae cum Lacone certatio, vel illa, qua amor Cyclopis a Daphnide et Damoeta celebratur.

De versibus intercalaribus.

Postremo in hoc capite memorandi sunt quos vocant versus intercalares, non mediocre, meo quidem judicio, hujusce generis orna-

mentum. Iteratur enim versus identidem per poema, qui cum ad affectus movendos nonnihil conferat, tum nescio quo pacto cum tibiarum modis cohaerere videatur. Sic est primo idyllio quindecies interpositum,

> ἄρχετε βωκολικᾶς, Μῶσαι φίλαι, ἄρχετ' ἀοιδᾶς·

et inter Simaethae carmen creberrime,

> ἴυγξ, ἕλκε τὺ τῆνον ἐμὸν ποτὶ δῶμα τὸν ἄνδρα.

quod et Vergilius imitatur in Pharmaceutria sua,

> Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.

Item apud Bionem, vel haud scio an elaboratius; item in illa Moschi naenia,

> ἄρχετε Σικελικαὶ τῶ πένθεος, ἄρχετε, Μῶσαι.

et in eo Nemesiani poemate, qui Eros inscribitur, intervallis paribus inclusum,

> cantet, amat quod quisque; levant et carmina curas.

De materia carminis bucolici.

Proximum est ut argumentum horum carminum, cujus supra in mentionem quasi casu incidi, copiosius jam exsequar. Etenim ut suos numeros habet bucolicum genus, ita propriam habet materiam. Nam vere licet de Theocrito dici, quod Moschus de Bione,

> οὐ πολέμους, οὐ δάκρυα, Πᾶνα δ' ἔμελπε
> καὶ βούτας ἐλίγαινε·

Canit ille nimirum res rusticas, canit greges ac pecora, pastorum nympharumque amores, pascua et rupes et silvas et silvestres deos, totum denique rus ad aurium voluptatem blanditiasque animorum arcessit. Atqui his carminibus, etsi humiliora sunt, huic Musae, quamvis rusticanae, non deest venustas aut elegantia, quin etiam in nullo, ut ita dicam, genere tantus comparet lepos, tanta suavitas, tam paene divina laus atque virtus verborum. Nam quid dulcius illa Cyclopis querella—

> ἠράσθην μὲν ἔγωγε τεοῦς, κόρα, ἁνίκα πρᾶτον
> ἦνθες ἐμᾷ σὺν ματρί, θέλοισ' ὑακίνθινα φύλλα
> ἐξ ὄρεος δρέψασθαι· ἐγὼ δ' ὁδὸν ἁγεμόνευον.

vel, ut est apud Vergilium,

> "Saepibus in nostris," ceteraque?

Quid? Nonne et omnium permulcet aures et corda tangit illud Simaethae carmen, cum cantionibus ac veneficiis amantem suum Delphin ad se conatur revocare? Quam flebiliter canit amore perdita!

ἠνίδε σιγῇ μὲν πόντος, σιγῶντι δ' ἀῆται·
ἁ δ' ἐμὰ οὐ σιγῇ στέρνων ἔντοσθεν ἀνία.

Quibus lacrimis Lunam precatur!

φράζεό μευ τὸν ἔρωθ', ὅθεν ἵκετο, πότνα Σελάνα.

Quo tandem angore concludit carmen!

ἀλλὰ τὺ μὲν χαίροισα ποτ' Ὠκέανον τρέπε πώλους,
πότνι'· ἐγὼ δ' οἰσῶ τὸν ἐμὸν πόνον, ὥσπερ ὑπέσταν.
χαῖρε, Σελαναία λιπαρόχροε· χαίρετε δ' ἄλλοι
ἀστέρες, εὐκήλοιο κατ' ἄντυγα νυκτὸς ὀπαδοί.

Verum non in commovenda miseratione solum admirabilia sunt haec poemata, sed tam omni quasi renident festivitate ac laetitia, ut nihil fieri possit hilarius, nihil lascivius. Cui quidem rei, quae adeo nota sit et frequentissima, non exempla mihi necesse est adjungere. Nam Theocritus, ut brevi praecidam, indole erat eadem ac viator ille Lycidas, quem ipse describit—

ἀτρέμας . . . σεσαρώς,
ὄμματι μειδιόωντι, γέλως δέ οἱ ἔσχετο χείλευς.

Is, si quis alius, nymphas ac Satyros, pastorum spes et gaudia et amores canere peritus: ei cordi erant nemora et fontes et antra Siciliae et omnes orarum ac montium amoenitates.

De reprehensionibus bucolicorum.

Sunt autem qui vehementius in bucolicum genus invehi soleant: hos poetas, etsi bonitate ac gratia verborum sint nemini non pares, etsi artem adhibeant exquisitissimam, tamen urbaniores inducere personas, ut fucatus videatur ille pastorum sermo, sententiae nihil ad veritatem accommodatae. Quod quidem licet vere Bioni Moschoque obiciant, licet etiam Vergilio, nequaquam possunt Theocrito. Illi enim, ut hujus imitatores, sic omnino aliis in rebus versati; hic, ipsa in Sicilia natus, diu vixit prope in conspectu pecorum, frequens auditor fistulae, pastorum, ut ita dicam, socius ac familiaris, hic denique, tametsi adulescens in insula Coo habitavit, multa senior scripsit Alexandriae, nihilominus tamen germanus erat Syracosius.

Quodsi ipsa velis poemata perspicere, nullo modo probari posse hoc crimen reperias. Adfirmant scilicet obtrectatores, ut páullo ante dixi, sententias nimium politas, elegantiora verba, quam quae rusticos deceant. Num igitur, quod pastor est quispiam, idcirco stultus etiam atque omnino Abderites? nihil aliud quam hircum oleat? nihil loquatur nisi sordide? Quis vero, inquiunt, istorum hominum tam artificiosa caneret quam est illud?

αἴθε γενοίμαν
ἁ βόμβευσα μέλισσα, καὶ ἐς τέον ἄντρον ἱκοίμαν,
τὸν κίσσον διαδὺς καὶ τὰν πτέριν, ᾇ τὺ πυκάσδῃ.

At liquet illos et olim talia cecinisse et nunc canere: nam usque ad nos et in Sicilia et in Graecia durant multa ejusmodi. Quid? Veritatine magis accommodatum est quicquam illo piscatoris somnio? vel quid quaeras aptius quam eam divini Lityersae cantilenam, quam inter metendum canit Milo—

σφίγγετ', ἀμαλλοδέται, τὰ δράγματα, μὴ παριών τις
εἴπῃ· σύκινοι ἄνδρες, ἀπώλετο χ' οὗτος ὁ μισθος·
ἐς βορέην ἄνεμον τᾶς κόρθυος ἁ τομὰ ὔμμιν
ἢ ζέφυρον βλεπέτω· et quae sequuntur?

vel in eodem poemate, cum amatorio carmine puellam suam Battus extollit? Sed persequi singula infiniti fuerit operis; hoc tantum dico, apud eum, ut mea fert opinio, nihil esse arcessitum, personas omnibus partibus vitae idoneas, sermonem quam maxime congruentem.

Neque ego tamen negaverim ullum esse in Theocrito vitium; nec enim oportet, ut Quintilianus docet, statim legenti persuasum sit omnia, quae optimi auctores dixerint, utique esse perfecta: nam summi sunt, homines tamen: itaque fit, ut, id quod de Homero ait Horatius, de Demosthene Cicero, interdum etiam Theocritus dormitet. Quibus igitur in locis paullum cadat, alias viderimus; nunc, ut erat propositum, de Moscho et Bione dicendum est.

De Moscho.

Illius quidem, qui se ipse profitetur Bionis fuisse discipulum, et Ausonium carmen scripsisse, perpauca sunt superstita, nec quicquam nisi unum id, quo mortuum magistrum conqueritur, insigni laude dignum.

Non caret sane gratia quadam ejus oratio, ceterum et nimis limata est et calamistris omnino molesta.

De Bione.

Bion autem, qui etiam pauciora reliquit, haud dubie praestantior, tantamque inter suos aequales famam consectus, ut de eo vel canere licuerit, quod Moschus in eodem illo poemate, cujus supra mentionem feci,

ὅττι Βίων τέθνακεν ὁ βώκολος, ὅττι σὺν αὐτῷ
καὶ τὸ μέλος τέθνακε, καὶ ὤλετο Δωρὶς ἀοιδά.

Eleganti certe filo fuit, oratione concinna, mollioribus sententiis; idem in numeris canorus ac facilis, in dispositione plane artifex. Verum hic, quanquam satis est in plerisque probabilis, raro tamen adsurgit; et cum procul a se reliquit Moschum, tum a Theocrito et arte et indole superatur.

De Bionis et Moschi materia.

Quod ad materiam pertinet, minime sunt hi Theocritum secuti. Namque in his carminibus vix quicquam est pastorale vel rusticum: sed omnia fere aut in fabellis heroicis versantur—(qualia sunt illa de rapta Europa, de Achille inter virgines celato, vel Megarae et Alcmenae querella); aut amatorii cujusdam sunt generis, quibus plerumque lasciviae ac doli Cupidinis et alia hujusmodi narrantur. Ac multa quidem videntur a statuis et picturis mutuati esse, ut cum Bion Amorem facit avis indutum specie plagasque aucupis fugientem, vel Cupidines circa moribundum Adonim volitare.

De Vergilio.

Venio nunc ad Vergilium, qui in bucolicis non solum secundus sed propior primo quam tertio aestimatur, cum reliquis videlicet in unaquaque re excellat, in nonnullis ne Theocrito quidem sit deterior. Nec vero me praeterit eum in hoc genere ad imitationem Theocriti se totum contulisse, tamen non ideo, ut quidam censuerunt, habendus est reprehensione dignus. Nam tantum aberat ut imitatio Graecorum Romanis, qui tunc erant, displiceret, ut etiam hortetur Flaccus—

vos exemplaria Graeca
nocturna versate manu, versate diurna.

Adde quod ut in campo tam angusto, nihil ea suppeditante rerum silva, quae praesto est epicis et lyricis et fabularum scriptoribus, necesse erat aliquantum dumtaxat vestigiis pri-

orum ingredi. Atqui an Vergilius recte hoc faciat, alii viderint; id, quod potius quaerendum est, quatenus exemplaria sua sit aemulatus, ex quibus sequuntur satis apparebit.

De metro Vergiliano.

De carminibus autem Vergilii nonnulla quasi praeteriens dixi; multa jam sunt uberius pertractanda. Primum igitur, ut in Theocrito, a numeris exordiar. His utitur usquequaque herois, Graecorum fere secutus rationem, sed ita ut spondeorum tanquam ad stabiliendos versus plus adhibeat. Atque hac quidem in re nihil admodum cedit Theocrito; nam tanta omnia suavitate ac mirifico quodam canoro decoravit, omnia tam incredibili condiit diligentia, ut germanus hujus artis magister eniteat. Est sane apud Vergilium nihil fere in hoc genere non a Theocrito petitum, tamen multa sunt ne ab illo quidem melius dicta; velut illud "Tityre dum redeo" et cetera, quod paene ad verbum e tertio idyllio conversum est. At, ne morer (nam sescenta sunt ejusmodi), hoc unum adiciam exemplum, quo vim Theocriti sine dubio noster adaequavit. Nam sicut ille miro quodam modo adumbravit labores inritos eorum, qui contra Homerum

ἀντία κοκκύζοντες ἐτώσια μοχθίζοντι,

ita hic, quod Graece verbo *κοκκύζειν* spondeisque expressum est, idem effecit dactylorum frequentia,

neque adhuc Vario videor nec dicere Cinna
digna, sed argutos inter strepere anser olores.

Porro Graecos est in ipsis modis imitatus, adeo ut interdum versus adhibeat totos more Graeco cadentes; qui quidem, ut mihi videtur, tamquam stellis quibusdam poemata inluminant; qualis est

saltantes satyros imitabitur Alphesiboeus,

et

caelatum divini opus Alcimedontis,

aliique his consimiles.

Eadem quoque secutus exempla, non raro hiat in versibus, ut

Amphion Dircaeus in Actaeo Aracyntho,

vel in illo loco, ubi etiam brevem vocalem in hiatu ponit,

clamassent, ut litus, Hyla, Hyla, omne sonaret.

Bucolica autem caesura, sicut ante dixi, multo parcius hic utitur quam Graeci. Cujus quaenam causa sit, ambigitur: sunt enim qui Maronem dicant dactylum in quarto pede ut suis numeris alienum sprevisse. Alii contra censent eum difficultate operis devictum, alii (quod veri similius est) hanc caesuram, quippe quam adeo neglexerit, quasi fortuito solum usurpasse, vel cum Graecos imitari vellet, nequaquam pro certa lege versus habuisse.

De dictione Vergilii.

Deinde verborum est idem artifex, quo nihil possit esse praestantius, adeo cuncta pereleganter dixit, cuncta ad aurium oblectationem elimavit. In paucissimis est sane suis ipse viribus minor, ut—

> Qui te, Pollio, amat, veniat quo te quoque gaudet,

et illud, in quo similiter desinentia aures respuunt,

> Limus ut hic durescit et haec ut cera liquescit,

quod tamen fortasse minus notandum est, cum e carmine nescio quo magico adsumptum esse videatur.

Et est aliud, ne quid ad hunc locum pertinens omittam, quod Vergilio culpae datur. Namque ut antiquitatis fuit veterumque scriptorum litterate peritus, ita tanquam hac ipsa deceptus eruditione, epithetis nonnunquam usus est ineptis atque admodum putidis, velut Hyblaeis apibus, Cyrneas taxos, Chaonias columbas.

Saepius vero illum Theocriti succum retinet, ut, etiam cum ipsa ejus verba reddit, si non meliorem, at parem certe magistro se praebeat.

Tum praeterea, quod est summi poetae, litterarum sono non solum delectat audientes, sed propemodum rem ipsam ob oculos ponit. Tale verbi causa est

> nam neque me tantum venientis sibilus austri,
> nec percussa juvant fluctu tam litora, nec quae
> saxosas inter decurrunt flumina valles.

et illud

> eque sacra resonant examina quercu.

Sed longum est quae venuste dixit, omnia jam persequi, cum nusquam fere non tam incredibile splendescat canorum, ut ipsae demum Gratiae sermonem ejus finxisse videantur. Itaque transeamus ad reliqua.

De Eclogarum materia.

In materiae quidem tractatione Vergilius valde claudicat. Nam etsi in numeris est jucunditatis ac veneris plenus, in verbis supra quam enarrari potest concinnus, personas tamen fingit haudquaquam veri similes, sententias adfectatas naturaeque penitus repugnantes. Quod quidem minime mirum videtur, cum primo omnia fere a Theocrito, e vita perpauca deprompserit; deinde, quod est vitiosissimum, Graecos homines, Graeca nomina, Graecos deos, quin etiam loca et Graeca et Siciliensia cum Italicis temere ac nullo consilio permiscuerit.

De vitiis Vergilii.

Sic pastores duo, quibus nomina sunt Meliboeus et Tityrus, de Roma loquentes facit et Octaviani scilicet, quem deum vocant, beneficia laudantes—neque id solum, sed eosdem tum ad Mincium, quod Mantuae est flumen, tum inter montes et antra fagosque versari, quae sunt omnia Siciliae. Est ejusdem quoque negligentiae in eo loco, ubi dicuntur agros una reliquisse Apollo et Pales, quorum alter Graecus, haec tota esset Italica; et alias, cum uno tempore inducuntur et ardore fessi messores et ab arando redeuntes juvenci. Vel quid denique absurdius excogitari potest, quam Cornelium Gallum, virum in primis strenuum atque maximis in rebus tunc occupatum—quid, inquam, absurdius, quam hunc simul et in Italia facere militantem, et scorti desiderio tabescentem in Arcadia?

De allegoria.

Progrediar nunc ad aliud corruptelae genus, quod cum commune est cunctis bucolicorum scriptoribus, tum in Vergilio maxime reprehenditur, eam dico ἀλληγορίαν quam vocant, qua fit ut saepenumero poeta cum pastoribus confundatur.

Cujus rei vestigia vel apud Theocritum licet conspicere, qui non solum ipse ex Simichidae persona carminibus intersit, sed quosdam suorum introducat aequalium, nominibus partim veris, ut Aratum, Phrasidamum, Philetam; partim fictis, ut Lycidam et Myrto, in quibus Leonidam Tarentinum, suamque ipsius amicam vult intelligi. Sed tamen perraro, vel dicam non plus quam semel, ac satis moderate hac utitur licentia: neque enim ipse primas agit partes, nec suas fortunas sensusque in medio exponit.

Moschus nempe deterior; nam is Bionem appellat τὸν βώκολον, qui

> ἀείδων ἐνόμευε
> καὶ σύριγγας ἔτευχε καὶ ἁδέα πόρτιν ἄμελγε—

et deinceps; quod putidius ac nonnullis etiam subabsurdum videtur.

Vergilius autem in hoc genere finem et modum omnem transiit—quin maxima pars bucolicorum ejus scripta est ἀλληγορικῶς—adeo fuit his tanquam praestigiis deditus, adeo negligens decori. Sunt nimirum, ut apud Theocritum, qui nominibus inmutatis personas gerunt pastorum,—(constat exempli causa sub Iollae nomine intelligendum esse Pollionem, sub Alexidis Alexandrum, amatum ab ipso puerum). Sunt etiam, neque ii poetae solum, qui palam inducuntur, ut Codrus, Gallus, Varius et Cinna, Bavius ac Maevius. Praeterea ne uno quidem nomine semet ipsum significat, sed alias aliis, ut Menalca, ut Corydone, ut Damoeta.

At enim his in rebus consuetudinem sequitur Theocriti, vel dilatat tantummodo. Concedamus ergo ut ita sit; quid de Vari Gallique laudibus dicemus, quas intexuit carminibus? quonam tandem modo defendi possunt? Quid de C. Caesaris? nam ejus mortem (non, ut quidam putaverunt, sui fratis) in eo loco deplorat, ubi dicit

> exstinctum Nymphae crudeli funere Daphnim
> flebant,

et

> Daphnin tollemus ad astra,
> Daphnin ad astra feremus; amavit nos quoque Daphnis,—

et cetera his similia. Quid? Illud denique poema, ut alia omittam, in quo venturus puer praedicitur, cujus ortu

> ferrea primum
> desinet ac toto surget gens aurea mundo—

nonne totum est, ut ceteroqui mirabile atque haud scio an omnium perfectissimum, ita valde obscurum et aenigmati simile et a Theocriti ratione prorsus alienum?

De virtutibus Vergilii.

Sed Virgilium hercule, licet non probabiles personas, res, quae nimis urbem redolent, in scenam, ut aiunt, attulerit, tamen haud inmer-